



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Cibus Electvs Sive Instrvctiones Sanctae De vita sanctè  
traducenda& inter pios sanctósque affectus concludenda**

**Elffen, Nicolas**

**Coloniae, 1667**

Exercitium Spei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55232](#)

impensè servierunt dum viverent ? Credo.

Credis infernum esse in quo æternum  
punitur reprobis & quotquot unius etiam  
Lethiferi criminis Rei deceperunt è vita ?  
R: Credo.

Verbo, credis omnia quæcunque creden-  
da proponit sancta Mater Ecclesia, sive illa  
scripta sint sive non sint ? R. Credo.

Et credis hæc omnia quia Deus qui nec fal-  
li potest nec fallere ita revelavit ? R. Credo.

Itaque quod corde credimus ore profite-  
amur & una recitemus Symbolum Aposto-  
lorum.

*Exercitium Spei.*

**E**rigere anima pretiosissimo Christi san-  
guine redempta, & si meritis atque ope-  
ribus tuis, quæ exigua sunt & imperfecta  
parum confidis senti nihilominus de Domi-  
no in bonitate : Et quidni benè speres de  
optimi Patris clementiâ, cui proprium est  
misereri semper & parcere ? Resp. Spero.

Speras etiam in meritis Iesu Christi, quæ  
indigno licet applicare paratus est, & in acer-  
bissimis ejus cruciatibus, ac morte pro te  
obita, ut te præservaret à morte secunda &  
cruciatibus sempiternis ? Resp. Spero.

Speras ( vel confidis ) etiam post Deum  
in potenti Matris Misericordiæ, Angeli Tu-  
telaris & reliquorum Cœlitum patrocinio ?  
Resp. Spero.

Nonne & speras ex infinita Dei bonitate  
ac

ac misericordia in hac vita tibi obventura  
omnia quæ ad beatitudinem consequen-  
dam sunt necessaria, ac demum vitam æter-  
nam? Resp. Spero.

Eccur speras hæc omnia? nonne fretus  
omnipotentiâ quæ potest & bonitate quæ  
vult ac denique fidelitate, quæ debet suc-  
currere misero, quia promisit? Resp. Ideò  
spero.

Age ergo spem animo conceptam ore ex-  
primamus & unà recitemus Orationem  
Dominicam.

*Exercitium charitatis.*

**A**ssurge hic anima Christiana, & reliquas  
corporis animique vires collige; agen-  
dum est hic negotium omnium negotiorum  
maximum.

Age ergo nonne Deum tuum, Deum in-  
quam tuum amas ex toto corde super om-  
nia? Resp. Amo.

Ipse est Pater tuus qui corpus dedit &  
animam, ipse est Liberator tuus qui in cru-  
ce pro te vitam profudit & sanguinem, ipse  
est summus Benefactor tuus qui innumeris  
beneficiis haec tenus in te collatis plura adji-  
ciet conferenda in Cœlis: nonne vel ideo  
eundem redamas? Resp Redamo.

Ipse est pulcherrimus, optimus, maxi-  
mus, ipse est summum & infinitum bo-  
num, tua simul & sua ipsius beatitudo.  
Nonne igitur amas nullo non amore dignis-  
sum? Resp. Amo. Et